

1398 desembre 14

Guillem Casals i Joan Garreta, en nom propi i com a procuradors dels homes de les valls d'Andorra, demanen a Joan Oliba, llicenciat en decrets i jutge ordinari de Puigcerdà i de la Cerdanya, que autoritzi la redacció d'un trasllat de la sentència dictada per Bernat Arsèguel on es declarava els homes d'Andorra exempts del pagament de la imposició de tres diners per lliura a què estaven obligats els súbdits dels reis de França i Aragó per les mercaderies que introduïen en ambdós regnes pel comtat de Cerdanya. Manament de Joan Oliba perquè es redacti el trasllat que li ha estat demanat.

O.* Andorra la Vella, ANA, ASC, perg. núm. 4.303. Al dors: «Carta de la [franquesa] de Puigcerdà com los habitants [de Andorra] no poden ésser marcats [ni] penyorats» (segle XV); «La quarta de [...]» (segle XV); «[...] de [...] sentència en [...] de [...] en [...]» (segle [XVI]; «Buidat al Llibre» (segle XVII); «Nº 4, lletra D. És duplicat» (segle XVIII); «Nº 4, lletra D. És duplicat. Franquesa del dret de marca de *l/e*Js mercaderies entran de França a Cathalunya y regne de Aragó y ixen de dit regne» (segle XVIII). — **R.** Còpia del segle XVII, Andorra la Vella, ANA, ASC, *Libre de Transumptos*, fols. 12v-14v.

a. BAIGES; FAGES, *Diplomatari*, doc. 117, pàgs. 260-262.

Noverint universi quod die sabbati qua computabatur quarta decima mensis decembris, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo octavo, comparuerunt coram honorabili et prudenti viro, domino Iohanne Olibe, in decretis licenciato, iudice ordinario Podiiceritani et Ceritanie, Guillelmus Casals, de Encamp, et Iohannes Garreta, de Canylleu, in valle de Andorra, nominibus suis et nomine aliorum hominum dicte Vallis, ut asseruerunt, dicentes quod venerabilis Bernardus Arcègell, de Podioceritano, declarator dudum in comitatu Ceritanie dubiorum et questionum inter emptores impositionum trium denariorum pro libra que solvi debent per subditos illustrium dominorum regis Aragonum et Ffrancie racione marcharum de rebus et mercibus quas subditi utriusque dictorum regnorum de uno in aliud dictorum regnorum, vicisim, transeunt et inmitunt pro satisfaciendo dampna passis in utroque regnorum predictorum, ex parte una, et subditos eosdem, ex parte altera, constitutus et ordinatus ab honorabilibus Ffrancisco Rome, legum doctore, vicecancellario dicti domini Aragonum regis, et Thoma de Marciano, quodam, milite, dicti domini regis consiliario, comissariis regiis super facto marcharum specialiter deputatis, dicentes quod dictus Bernardus Arcèguell quandam declaracionem fecit super exempcione et absolucione hominum dicte Vallis de

non solvenda per ipsos impositione predicta cum publico instrumento confecto in Podioceritano, decima septima die madii, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, recepto per Bernardum Manresa, publicum Podiiceritani et Ceritanie notarium, quod instrumentum abstractum fuit a dicta notula et in mundum redactum et traditum parti hominum dicte Vallis, set postea deperditum et amissum fuit quo ad ipsos, ita quod ipsum aliquatenus invenire non possunt. Unde cum sua et aliorum hominum dicte Vallis, ut dixerunt, intersit habere dictum instrumentum, idcirco supplicarunt dicto domino iudice quatenus unum aliud instrumentum confici et reperari faceret a dicta [notula et] eis tradi eius decreto appposito in eodem. Qui quidem dominus iudex, audita dicta supplicacione, videns eam fore consonam rationi, recepto per eum primitus iuramento a dictis supplicantibus si dictum instrumentum penes se habebant aut penes alium esse sciebant aut dictam reparacionem fieri petebant in fraudem alicuius, qui dixerunt quod non, set quod dictam reparacionem fieri petebant pro conservacione iuris ipsorum et aliorum hominum dicte Vallis, mandavit dictam reparacionem fieri et predictum instrumentum tradi dictis supplicantibus, salvo iure quolibet alieno, per dictum notarium, qui recepto dicto mandato processit ad dictam reparacionem fiendam in hunc qui sequitur modum:

«Sit omnibus notum quod ego, Bernardus Arcègell, de Podioceritano, scriptor, declarator in comitatu Ceritanie dubiorum et questionum emergencium inter emptores impositionis trium denariorum pro libra que solvi debent per subditos illustris regis Ffrancie racione marcharum de rebus et mercibus que ipsi subditi inmitunt in regnum Aragonum per dictum comitatum et de rebus etiam atque mercibus que per subditos illustris domini nostri regis Aragonum per dictum comitatum inmituntur in regnum Ffrancie, pro satisfaciendo videlicet dampna passis utriusque dictorum regnorum, ad hec specialiter constitutus et ordinatus a venerabilibus Ffrancisco Rome, legum doctore, vicecancellario domini nostri regis, et Thoma de Marciano, quondam, milite, dicti domini regis consiliario, comissariis regiis super facto dictarum marcharum specialiter deputatis. Attendens quod super dicta impositione diu est fuit alterquatum et questio extitit suscitata inter homines vallis Andorre, ex parte una, et emptores dicte impositionis in villa Podiiceritani, ex altera, super solucione dicte impositionis quam dicti emptores asserebant debere fieri per homines dicte Vallis pro eo videlicet quia dicebant eos fore in parte homines et subiectos egregii comitis Fuxi, qui est subditus dicti domini regis Ffrancie, et etiam quia dicti homines semper cessarunt solvere in profertis dicto domino nostro regi Aragonum factis per Generale Cathalonie in subsidium guerrarum

preteritarum, ex quo asserebant eos a principatu Cathalonie fore alienos et per consequens debere solvere impositionem pretactam, dictis tamen hominibus predicte Vallis contrarium asserentibus et dicentibus eos esse et fuisse perpetuo de regalia domini nostri regis Aragonum prefati et infra ipsius regni limites et principatum Cathalonie sistentes, et quasdam etiam alias rationes facientes pro ipsis allegantibus, ex quibus asserunt eos a solutione et contributione dicte impositionis fore quitos et immunes. Quapropter, habito per me super hiis diligenti consilio et dictis rationibus et aliis quas dicte partes coram me allegare et proponere super hiis voluerunt ad plenum auditis, ex potestate michi super hiis attributa, cum hoc presenti publico instrumento declaro dictos homines vallis de Andorra, tanquam homines de regalia et intus regaliam prefati domini nostri Aragonum regis sistentes, esse immunes et liberos a dicta impositione et eius solutione seu prestacione et pro eis minime fore compellendos. In quorum omnium testimonium presens instrumentum volo fieri et tradi dictis hominibus per notarium infrascriptum.

Actum est hoc in Podiiceritano, laudatum et firmatum per me, dictum Bernardum Arcègell quo supra nomine, decima septima die madii, anno a nativitate Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, presentibus ad hec pro testibus Raymundo Embroni, de Podiiceritano, Guillelmo Andree, Petro Serrat, parrochie de Salagosa, et Bernardo Manresa, notario Podiiceritani».

Et nos, Iohannes Oliba, in decretis licenciatus, iudex predictus, huic trallato a suo originali fideliter sumpto et trallatato, causa prius cognita auctoritatem nostram iudicariam interponimus pariter et decretum manu propria scribentes.

Sig(*signe*)num mei, Bernardi Manresa, publici Podiiceritani et Ceritanie notarii antedicti, qui hoc instrumentum, mandato dicti domini iudicis et eius interveniente decreto, a dicta notula fideliter reparatum et cum ea comprobatum et examinatum, scribi feci et clausi. Et constat de raso et correcto in vicesima linea, ubi scribitur *in*, et de supraposito in eadem, ubi notatur *regi*.